

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum die Martis septimâ Februarii M. DCC. XLI.

M. URBANO LEAULTE', Antiquo Facultatis Decano, nec-non Academiæ Censore, & Antiquiore Scholarum Magistro, Doctore Medico, Præside.

An ut omnium Secretionum causa tritus, sic materies Lympha?

I.



SECRETIO, anticipatis *fermentistarum* opinionibus magis, quàm rei ipsi accommodatum nomen, non pravi à puro, inutilis ab utili, ab excrementitio alibilis divortium; sed partis à parte, homogenei ab homogeneo, à succo denique nutritio succi nutritii detractio & est & haberi debet. Corporis pars nulla secretionis expers. Ab universo erumpit utraque transpiratio. Sua cuique sedes propria, peculiare organum. Præcipua inter secreta annumerandi spiritus animales, si qui sint, saliva, lacrymæ, cerumen aurium, mucus, lac, bilis, succus pancreaticus, urina, semen, lympha; quæ omnia simul atque separata sunt à sanguine ejiciuntur, vel propria confluunt in receptacula, donec sponte sua, aut voluntatis ad arbitrium foràs eliminentur. Secretiones non inchoant fermenta, diversa non perficit cribrorum figura,

non humor analogus, non Chymicorum lanas mentitæ fibræ ſanguinis; ſed ictus ſolidorum perpetuo alterni partes ſanguinis dividunt, diviſas ſeparant arteriæ in conos deductæ, ejiciendis quæ ſeparatæ ſunt partibus innumera patent ſpiracula. Fermenta jam pridèm exploſa ſunt nata repugnante naturâ commenta. Quod ſecernitur liquidum cùm ſit non ſolidum ad omnes habile formas, cujuſcunque figuræ meatibus ſeſe accommodat. Inutilis ergo non minùs, quàm impoſſibilis pororum diverſitas. Humor analogus nihilo convenientior cum circuitu ſanguinis quàm fermenta. Has natura ſententias reſpuit, quas error excogitavit, fovêre præjudicia, pertinacia retinuit; quas denique ſiſtematum inventores & fautores, dum ſibi naturam, non ſe naturæ ſubjicere ſtudent, ad mentem ſuam non ad veritatem effinxêre, ut expedirent quo tandem artificio natura heterogeneum ab heterogeneo ſegregaret. Quid ſi homogeneum ab homogeneo? Non longe enim ambages: quæcunque pars ſanguinis ad ductus excretorios poterit appellere, eam ſolam ſecerni neceſſe eſt.

I I.

PARTES in ſanguine inſunt omninò duæ ut ſtabilitate, ita & colore diſſimiles, rubra & alba. Hæc ſive intra vaſa concluſa, ſive extra effuſa ſponte ſuâ fluit, illa vi liqueſcit alienâ, ſibique relicta cogitur in grumos, quietis partus infelices: hâc denique tenuiores fibræ proximum corporis nutrimentum, illâ continentur grandiores jugi ſolidorum tritus in alibiles ſuccos comminuendæ: Pars utraque communi vehiculo aquâ ſic diluitur, ut in alterius ab alterâ divortio quidquid eſt tenuioris ſive fibræ, ſive ſucci, ſive ſalis aquam ſequatur, proprioque lymphæ nomine gaudeat. Creſcat ingentem in molem ſanguis, quamque fovet animalem œconomiam pellumdet neceſſe eſt, ni quantùm in dies accedit novæ ſubſtantiæ, tantùm providentiæ naturæ vel artis detrahat. Naturæ via ſecretio. Hinc corporis pars omnis non elaborandis magis præterlabentibus humoribus, quam ejiciendis ne redundent invigilat; quæque atterit vis, attrita applicat in partes, eadem ſuperflua, quà data porta, protrudit forâs. Vigeat igitur ad ſecretionum integritatem fibrarum robur & elater, ſecernendus ne craſſeſcat liquor, expedituſque ſit exitus, &, ut decet patens. Fibrarum validæ oſcillationes ſanguinem in tenuiſſima vaſa impellunt, cujus ſubtiliſſima pars & ab aliarum conſortio facillimè diſſociabilis nullo negotio exiles meatus pervadit, & ni quid exitum intercludat, extrà circuitus ſanguinis vias elabitur.

I I I.

UNIVERSA ſolidorum compages circulus, in quo nihil eſt extremi, medii nihil. Tibi tamen cor ea pars eſto quæ principium eadem, eadem finis habeatur; unde ſanguis per arterias ſcaturiat dives opum pabula cunctis laturus partibus, & quò per venas inops redeat novis reſtaurandus ſubſidiis. Accipe jam ſolers naturæ ludentis artificium. Quas arterias vocant canales multifidi ore hiant in cor ſimplici, eoque ſatis amplo. Hac vitale flumen libero primum labitur alveo, nullis coercitum anguſtiis, nullâ fractum mole: deinde verò diſcedentibus à trunco ramis amplioribus, atque ab his minoribus aliis, pullulat ab unâ quaſi radice ingens circulorum luxuries, qui paulatim & legibus certis in exiles tenuantur tubulos, donec ad ſummæ tenuitatis modum diducti ſint; tunc ſui ubique ſimiles miris convolvuntur

modis. Nunc varios in amfractus & ſinuoſa volumina denſantur, nunc tenues glomerantur in orbes, emittuntque hinc ductus excretorios, inde vaſis lymphaticis præbent originem; deinde remeant ad cor conflatis iterum in venas qui diducti fuerant arteriarum ramulis. Conicam eſſe vides arteriarum figuram; hanc quoque formam induet ſanguis in has adactus anguſtias. Verùm non omnis pars illius æquè cordis atque arteriarum verberibus regi docilis, non æquè ſectilis, non ductilis æquè, ſed pars rubra, fibræ craſſiores, & quæcunque tenaciùs cohærent crebris alliſa obicibus, perpetuis frænata retinaculis paulatim inhibent impetum: atque ubi neque jam in anguſtiores protrudi vias, neque ultrà attenuari poſſunt, propter nimiam partium cohærentiam, debilemque prorsùs iis in locis ac ferè nullam arteriarum vim; per patentiores ductus hinc & inde derivatos curſum expeditiorem nactæ eò feruntur; dùm alba, ſeroſa, tenuiores ſucci, ſales aqua ſoluti, lympha denique ab aliarum partium nexibus lubrico ſeſe lapſu extricat, & per arctiſſimum coni apicem ſerpit, Dædaleoſque ſubit amfractus, & mille ambages emenſa, mille attrita molibus ſubigitur ulteriùs, atque in varias formas elaboratur. Pars inde per vaſa lymphatica in ſanguinem revehitur, pars ductus ingreſſa excretorios effluit, quod ſupereſt recta in venas continenti properat alveo.

I V.

STUPENDUM quàm ſimplici apparatu, quàm multiplices natura moliatur effectus. Aſpice quid diſtent corpora corporibus; quid liquida diſcrepent duris, frigida calidis; quanta ſaporum, quanta ſit odorum diverſitas; colorum & ſonorum pene infinita varietas: has tamen diſcrepantias ſola facit figura partium, moles, ſitus, motus & quies. Quorſum hæc ſi quæris? ut intelligas nihil à te effici, qui colores ſaporeſve diverſos in nos objicis? horum enim effector tritus qui ut in artefactis contingit, ſecernendarum partium ſitum, & figuram aliaſque proprietates variè immutat. Hoc panificium, hoc ars probat culinaria, hoc evincunt Pictores, hoc ipſi Chymici: proterendi ſcilicet & ſubigendi modo diverſi elaborantur ſapores, varii concinnantur colores. Sapies itaque ſi à ſolâ triturâ, & meatuum capacitate diversâ non ſecretiones tantùm, ſed & earum diſcrimina repetas. At enim cur tenuia per patentiores ductus non effluunt, utriuſque tranſpirationis materies per urinæ vias, per bilis urina, &c. effluunt ſanè cum appellunt, ſed aliâ tum formâ alioque donantur nomine. Qui per renes ſudor deflectit, urina & eſt & dicitur; quæ per jecur urina, bilis, &c. Hinc auctâ tranſpiratione minuitur urina, &c. Adeò pars ſanguinis eadem, ad omnia corporis incernicula allabitur, forma verò à cribris accedit multiplex.

V.

NON eadem bilis quæ ſecretorum à ſanguine humorum aliorum conditio. Hi ab arterioſo ſanguine, à venoſo illa, eoque purioti lymphæ parte ſpoliato ſeparatur. Quem enim ad hepar ſanguinem advehit portarum vena reducem ab aliis viſceribus craſſus eſt & tardigradus admodum lymphamque bilioſos in ductus emittit ſegnem, inertem, limoſam; quam ubi jecur accepit fibris, ne præ lentore hæreat, uſque premit motricibus, cogit ac confundit, perque tortuoſos canales, innumeras veſiculas, capſulas, fibris

contextas validissimis égtegiè comminuendam transmittit, saporemque ipsi tritu inurit amarum, tritu flavum inducit colorem. Vides ut in aquarum vorticibus centrum spuma petat & quæcunque pars indocilis moveri eò deprimitur, dum reliquæ eò recedunt longiùs, quò sunt ad motum expeditiores. Quidni lympha, extremas arteriarum convolutiones præterlabens, iisdem in orbem circumagatur legibus, dissimilesque partes educant circumferentiæ centrique ductus excretorii. Lympham secerni solam incredulus negas, nec, nisi videris adduci unquam poteris ut credas? Arma oculos, intuere propiùs, & rem videbis ipsam.

Ergò ut omnium secretionum causa tritus sic materies Lympha.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Ludovicus Chomel, Medicus Regis ordinarius.

M. Hyacyntus-Theodorus Baron, Regii Exercitûs in Insulâ Corsicâ Medicus ordinarius.

M. Ludovicus-Maria Pousse.

M. Antonius Casamajor.

M. Raymundus de la Riviere.

M. Franciscus-Josephus Hunauld, Regiæ Scientiarum Academiæ & Regiæ Societatis Londinensis Socius, in Horto Regio Anatomes & Chirurgiæ Professor ac Demonstrator.

M. Claudius de la Vigne de Frecheville, Medicus Regis & Domûs Reginæ ordinarius.

M. Joannes-Damianus Chevalier, Regis Consillarius Medicus ordinarius in Insulâ Sancti Dominici.

M. Claudius Brunet.

Proponebat Parisiis URBANUS DEVANDENESSE, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1741, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.